COMPENDIUM

VITAE, VIRTUTUM, ET MIRACULORUM

NECNON

ACTORUM IN CAUSSA

CANONIZATIONIS

BEATAE COLETAE BOILET

Virginis Corbejensis Reformatricis
Ordinis S. CLARAE

Ex Secretaria Congregationis Sac. Rit.

ROMÆ MDCCCVII.

Apud Lazarinum Rev. Cam. Apost. Typographum

BONAE MEMORIAE



D. Severini Condreduntensis Sec. XII.

Ordinis S. Clarae

Virginis Corpulentensis Ilchomentricis

BREVE COELESTE

CANONIZATIONIS

ACTORUM IN CAUSSA

NECNON

VITAE, VIRTUTUM, ET MIRACULORUM

COMPENDIUM

COLETA BOILET Corbiæ in Picardia Diœceseos Ambianensis nata idibus januariis anno salutis millesimo trecentesimo octogesimo Parentibus pietate, & honestate conspicuis, complura præbuit ab ipsa infantia non exiguæ sanctitatis indicia; pueriles etenim ludos, & mundi illecebras respuens orationi, & cœlestium contemplationi vacabat, iisque adeo maxime oblectabatur, ut illud sibi Tobiæ elogium promeruerit; cum esset junior, nihil tamen puerile gessit in opere. Cumque jam ex secreto paternæ Domus cubiculo in sui spectaculum adstantium oculos, animosque convertisset, eas sibi tanta severitate vivendi leges indixit, ut pane, & aqua contenta, ferreis flagellis, cilicioque, nocte intempesta sæpissime uteretur, ac nisi perbrevem, qui fractas vires ludificaret potius quam recrearet, irrepere somnum sit passa. Quanta vero in ægrotos fuerit benignitate, quantam in inopes egentesque exercuerit caritatem res ipsa loquitur; Infima namque sibi ministeria demandari summa semper studuit alacritate, & quidquid vel cultui supererat, aut victui, in hos erogatum voluit libentissime; miserorum enim inopiæ sublevandæ sic assueverat a pueritia, ut jure præclaram Jobi vocem de se posset usurpare: ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum.

Facultatibus pauperibus distributis, in Eremum secessit, ubi a dæmonibus frequenter lacessita, vulneribusque toto corpore lacerata, impense tamen orationi sic dedita, ut sæpe in ecstasim rapta Angelorum visione, & colloquio frueretur. Verum ne ignis ille divini amoris, quo accendebatur terrenis curis & cupiditatibus implicatus, & suffocatus tepesceret, tertii Ordinis Sancti Francisci Regulam professa, religiosæ vitæ severitati, & corporis cruciatibus, quibus nihil jam addi posse diceres, adjunxit plurimum. Nudis semper pedibus etiam hyemis tempore incedens, jejuniis corpus continuis pene conficiens, cœlestem plane vitam aggressa est; id unum semper præ oculis habens ut nihil nisi ad gloriam Dei loqueretur, ageret, meditaretur. Hinc uberes gestientis animi voluptates, & cœlestium gaudiorum deliciæ; hinc admirabiles illæ ecstases, quibus sensibus destituta, sublime adeo elevabatur, ut in cœlum rapi sæpissime videretur; hinc denique voces illæ, & suspiria, quibus cum jugis erumperet foris caritas, internum exhalare conabatur ardorem.

Hisce autem amplissimis præclariora, & plane singularia conjungenda sunt argumenta virtutum. COLETÆ jugiter oranti, ut peccatorum periculis & conversioni consuleret, cum cœlitus revelatum esset, futurum, ut eorumdem correctio juxta suum desiderium adimpleretur per reformationem Ordinum a Patre SANCTO FRANCISCO institutorum, vix dici potest quanta humilitate oraculum spectare altius

tius cœperit, serioque apud se reputare; in eo dies noctesque insistere; idipsum cum tot prodigiis conferre, ne nimium credula, præstigiis illuderetur a dæmone. At cum divinæ humiliter nimium reluctaret voluntati, oculorum, & linguæ usum deperdidit, quoad usque eidem consensum penitus præbuit suum, & abjecta hinc omni cunctatione & mora, divino afflata Spiritu, Apostolicæ Sedis adire præsentiam decrevit, ut a Summo Pontifice magnum opus executioni mandandi facultatem exposceret, & obtineret. Edocta igitur, & quidem cœlitus de necessariis ad Reformationem suscipiendam, Pontificem adiit maximum, qui quamquam ob juvenilem BEATÆ ætatem, & status, quem postulaverat austeritatem, assensum distulerit, prodigio tamen divina voluntate cognita, non modo ad religiosum admisit habitum, sed & omnium reformandarum Monialium Abatissam declaravit.

Postquam autem accepta Pontificis benedictione in Patriam regressa est, omnem in eo curam, & cogitationem intendit, ut quod ab ipso jussa erat Pontifice compleret diligentissime. In Sabaudia igitur, quo ejusdem COLETÆ jam maxima invaserat sanctitatis opinio, arduum opus incepit anno millesimo quadringentesimo septimo. Quam multas vero Reformationis initio, quamque acerbas ab illis ipsis, qui ei faverant, nedum ab aliis injurias, calumniasque pertulerit COLETA, haud facile dictu est. Illud sit instar omnium quod eam & venefi-cam, & sortilegam, & dæmonum invocatricem ap-

pellare non modo non dubitaverint , sed & adeo obtrectationibus impetere ausi sunt , ut alio necesse sibi fuerit commigrandum . Attamen in his rerum asperitatibus , nihil de gradu heroicæ fortitudinis & constantiæ dejecta , ostendit quam vere sit dictum : justum non contristare quidquid acciderit . Contumeliis enim , & impudentissimis lacessita conviciis ita se gerebat, ut iis delectari quammaxime videretur . Sed & Deus ipsi tam admirabili patientiæ singularem aliquam vel in terris mercedem rependit . Gravi etenim morbo , & periculoso cum premeretur, ipsius Beatissimæ Virginis ope , cujus adspectu, alloquioque recreata fertur , convaluit ; viditque præterea Reformationem suam , divino numine adjuvante , & ad breviter propagatam & adaucto Sanctimonialium ubique numero , complura etiam in diversis provinciis Monasteria esse constructa .

Quid mirum igitur videatur , cum per quadraginta annorum spatium ad exaltationem divini nominis viriliter adlaboraverit , tantam in semetipsa construxisse fabricam celsitudinis , cum tantum prius de fundamento cogitaverit humilitatis ? Quid quod divinis charismatibus tam liberaliter locupletata summis Populorum , Magnatum , Principum laudibus exaltata , adhuc tamen demisse adeo de se humiliterque sentiret , ut communi luce se indignam non prædicaret modo , sed & animo reputaret ? Quid denique quod cum tam profundam humilitatem , obedientiam , cæterasque virtutes cum singulari quadam prudentia conjunctas in COLETA Pontifex in-

tue-

tueretur, eidem, summo rerum spiritualium emolumento, omnium reformatarum Monialium contulerit præfecturam? Cum autem a Domino super familias suas constituta præesset, omnibus COLETA omnium se infimam nominabat. Erat in ea, quæ vix credibilis, vitæ severitas semper eadem, in Deum, & proximos idem amor, in ministeriis assiduitas supra modum; laborum, vigiliarumque remissio nulla. Leges a se præscriptas, ut ipsa accuratissime observabat, sic, ut eisdem Moniales omnes ad verba obedirent, quammaximo cavebat studio, nihilque cordi habuit magis, quam ut quidquid verbo docuerat, suo ipsamet firmaret exemplo. Comis, blanda, facilis, materna omnes complectebatur sollicitudine, & quamquam auctoritate præesset cæteris, humilitate tamen una omnium erat abjectissima.

Cum vero virtutum fama, & miraculorum, qua & Deo, & hominibus spectaculum facta est, longe, lateque jam per Italiam, Galliam, Germaniam percrebuisset, innumeræ undique confluebant gentes, ut ejusdem precibus ad spirituales obtinendas gratias adjuvarentur. Spectabiles etiam doctrina, & nobilitate viros, inter quos theologiæ magistros, aliosque sapientes, ut eam de obscuris, subtilibusque materiis interrogarent, accessisse non ignoramus. Ad COLETAM tanquam ad omnis sanctitatis magistram, absolutæque perfectionis exemplar relicta Aragonia venit Sanctus Vincentius Ferrerius; venere alii plures virtutum gloria conspicui.

Sexagesimum & sextum compleverat annum

CO-

COLETA cum suæ resolutionis tempus instare prævidens, ut divini Sponsi in occursum plena lampade Virgo prudentissima se præpararet, salutaris hostiæ desiderium, quo summopere tenebatur, ardentissime adeo explevit, ut adstantium filiarum pietatem accenderit miris modis; ingenita etenim caritatis flamma, qua ardebat animus, in ore atque oculis tunc longe illuxit fervidior. Cum nullus interim adstantibus Monialibus esset lugendi modus, quod tantæ Matris irreparabilis jactura foret, COLETA Dominicæ Passionis doloribus contemplandis intenta, manibus pedibusque in Christi Crucifixi similitudinem positis ad Sponsi sui cœlestis amplexus inter plaudentes Angelorum choros Gandavi in Flandria feliciter evolavit anno millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo die sexta Martii.

Demortuæ porro is erat color, & ea species, quæ jucundius faceret sui spectaculum quam viventis; tanta ex ore venustas emicabat, majestas tanta! Illius vero mortis rumore ad Corbienses, finitimasque civitates & oppida allato, spectaculum fuit singulare videre proxima templo itinera, vicos, plateas effusa undique multitudine redundantes; mixtos populo viros omnium Ordinum spectatissimos, matronas, proceres, Sacerdotes; spectaculum audire alios mutis, surdis, ægrotisque cujusque generis spem salutis haud dubiam ingerentes; alios languentibus & paralyticis ut ad sacrum cadaver accederent opitulantes; clamantes omnes, digna, quæ inter Cœlites referatur, COLETA.

Sta-

Statim ab obitu cultum publicum Ecclesiasticum BEATA COLETA obtinuit, qui subinde ab Apostolica Sede, per concessionem Officii & Missæ in illius honorem pluribus Ecclesiis Ordinis ab ea reformati ampliatus est.

Hujusmodi cultus tam præclaræ species Sacr. Rituum Congregationi expositæ meruerunt, ut die 7. Septembris anni 1739. ipsa Sac. Congregatio censuerit admittendam esse Commissionem Causæ Canonizationis ejusdem BEATÆ; quæ quidem Commissio subinde a sa. me. Clemente XII. signata fuit. Die vero 23. Januarii anni 1740. proposito in Congregatione Dubio: *An constaret de Cultu ab immemorabili tempore prædictæ BEATÆ exhibito, seu Casu excepto a Decretis felic. record. Urbani Papæ VIII. ex Indultis Apostolicis*, Sacr. Congregatio censuit *Constare*, quod Rescriptum, cum interea temporis obierit Clemens XII., a Summo Pontifice rec. me. Benedicto XIV. die 26. Augusti ejusdem anni 1740. confirmatum fuit.

Factus tunc est locus examini Virtutum heroicarum, & Miraculorum. De primis itaque disputatum est in Congregatione Sac. Rituum Ordinaria die 17. Augusti anni 1771., in qua proposito Dubio: *An constaret de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Caritate in Deum & Proximum, ac de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque adnexis in casu, & ad effectum de quo agitur*; rescriptum fuit: *Ita constare de Virtutibus, ut possit deveniri ad discus-*

sio-

sionem quatuor Miraculorum. Summus Pontifex Rescriptum Congregationis die 24. ejusdem mensis & anni confirmavit.

Proposita tunc fuerunt quatuor Miracula, quæ intercessione B. COLETÆ a Deo patrata ferebantur, hæc autem tribus in Congregationibus de more fuere discussa. Post primam Congregationem unum ex iis ab ipsis Postulatoribus fuit sepositum; tria vero reliqua inter vera Miracula sunt recensita per Pontificium sa. me. Pii VI. Decretum diei 12. Augusti 1781., videlicet primum: *Instantaneæ Sanationis Sororis Rosæ Croes ab inveterata impotentia ad motum orta ex transversa, & complicata fractura rotulæ sinistri genu, ejusque mala coagmentatione*: Secundum: *Subitæ Sanationis Sororis Mariæ Theresiæ Smidt Tertiariæ Ordinis S. Francisci a tumore ulcerato in epigastrio sinistro, aliisque pessimis ægritudinibus*: Tertium: *Instantaneæ Sanationis Fr. Romani de la Motte Laici professi Ordinis Recollectorum S. Francisci a phthisi pulmonali confirmata, & antiquata cum integra virium recuperatione*..

Postulatores autem Causæ intelligentes plura eidem Causæ favere pro obtinenda ab æquitate Pontificis Summi dispensatione a quarto Miraculo, supplices fuerunt apud laudatum Pium VI. pro hujusmodi dispensatione, qui exquisita sententia particularis Congregationis ad hunc effectum a se deputatæ, inspectisque peculiaribus circumstantiis ejusdem Causæ die 21. Aprilis anni 1790., benigne dispensavit.

Hisce

Hisce adimpletis, amplius etiam ab universa Congregatione quæsitum est, num tuto post adeo exquisitas diligentias B. COLETA in Canonem Sanctorum referri posset, de quo minime ipsa Congregatio dubitavit. Summus vero Pontifex, non illico, sed diuturnis interpositis precibus tuto tandem referri posse definivit in die festo Assumptionis B. Mariæ Virginis 15. Augusti anni 1790.

Re huc perducta universa Recollectorum, & Monialium Clarissarum Familia humillimas ingeminat preces, ut optatam hujusce Virginis Reformatricis Canonizationem tandem obtineat.

F I N I S

Fb
C7438341
18 Ac 17

quanta copia di beni diffonda Iddio nel cuore di chi lo serve con fedeltà. Se non riempisse intieramente
il cuore, non avrebbe interdetto ogni altro straniero amore: potrebbe l'uomo querelarsi &c. In eadem
Hom. 4ª Adv. Conc. 3ª pag. 131. et seq.